



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXV. Gregorii Papae I. Ad Ioannem Episcopvm Sqvillatinvm.
Visitationem cuiusdam iniungit ecclesiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

EPISTOLA XXXV.

GREGORII PAPÆ II.

AD IOANNEM EPISCOPVM SQVILLATINVM.

Visitationem cuiusdam iniungit ecclesia.

Gregorius Ioanni episcopo Squillatino.

PA STORALIS officii cura nos admonet destitutis ecclesiis proprios constituere sacerdotes, qui gregem dominicum debeant pastorali solicitudine gubernare. Propter te Ioannem ab hostibus captiuata Lusitanæ ciuitatis episcopum in Squillatina ecclesia cardinalem necesse duximus constituere sacerdotem, ut suscepsum semel animarum curam intuitu futuræ retributionis impleas. Et licet a tua ecclesia sis hoste imminentे depulsus, aliam quæ pastore vacat ecclesiam debes gubernare: ita tamen, ut si ciuitatem illam ab hostibus liberam effici, & Domino protegente ad priorem statum contigerit reuocari, ad eam in qua prius ordinatus es ecclesiam reuertaris. Sin autem prædicta ciuitas continua captiuitatis calamitate premitur, in hac in qua a nobis ordinatus es, vel incardinatus, debas ecclesia permanere. Præcipimus autem ne vñquam illicitas ordinationes facias. Nec bigamum, aut qui virginem non est sortitus vxorem, aut ignorantem literas, vel in qualibet parte corporis vitiatum, vel pœnitentia, vel curia, vel cuilibet conditioni obnoxium, ad sacros ordines permittas accedere. Sed si quos huiusmodi repereris, non audeas promouere. Afros passim, vel incognitos peregrinos, ad ecclesiasticos ordines tendentes, nulla ratione suscipias: quia Afri quidem aliqui Manichæi, aliqui rebaptizati: peregrini vero plurimi etiam in minoribus ordinibus constituti ad fortiores prætendisse honores sæpe probati sunt. Admonemus etiam fraternitatem tuam, ut commissis sibi animabus solerter inuigilet, & animarum magis lucris quam commodis vita præsentis intendat. In continendis aut disponendis rebus ecclesiæ diligens insistat, ut omni ex parte suscepsum digne te gessisse pastoris officium venturus iudex, cum ad iudicandum venerit, debeat* appellare.

Grat. 7. qu.
1. cap. 42.
Iuo part. 5.
cap. 13. Bur.
libro 1. cap.
123. Anf.
libro 6. cap.
99. Ioan.
diac. libro
3. cap. 15.

Grat. diff.
34. cap. 10.
Iuo par. 8.
cap. 288.

Grat. diff.
98. cap. 3.
Iuo par. 6.
cap. 351.

* appro-
bare.

Concil. Tom. 13.

K k ij